





14899

1729, 25

28

FACULTATIS IURIDICÆ  
IN ALMA AC PER-ANTIQUA HIERANA  
PRO-DECANVS  
**ERNESTVS TENZELL**  
JCTVS

ELECTORALIS REGIMINIS CONSILIARIUS, JUDICI PROVINC. ERFORDIENSIS  
ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS CONSUL PRIMARIVS,

AD LECTIONEM CVRSORIAM

*Super L. I. ff. de Scto Macedon.*

HAC QVE FINITA

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM  
DE

DECRETODISTRIBUTIONIS IN  
CONCVRSIBVS CREDITORVM  
NONVLLIBI RECEPTO,

A  
NOBILI ET CLARISSIMO DOMINO

**CHRISTIANO WILH. Glaubart/**

ELSTRO. MONT. VARISCO,

IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI

D. XXI. MARTII A. M DCC XXIX.

HABENDAS

OMNIVM ORDINV AVDITORES DECENTER INVITAT,

ET

OCCASIONE LEGIS IN ISTA LECTIONE  
EXPLICANDÆ

QVÆDAM

**DE SCTO MACEDONIANO,**

VITÆ CVRRICVLO PRÆMITTIT.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





Bligationes quanquam præstandi necessitatem involvant, uti ex ipsis Juris Naturalis principiis fatetur VLPIANVS in L. i. pr. ff. de Pact. ita, ut nemo semel constituta obligatione absque alterius consensu renuntiare queat, tradentibus DIOCLET. & MAXIMIAN. in L. 5. C. de O. & A. & L. 39.

C. de Transact. sed potius ratio Pontificis in C. 21. de R. I. in bto, quod semel placuit, amplius displicere non potest, hue apprime quadret; attamen Jura non in omnibus eandem obligationem requirunt, sed pro diversitate subjecti diversam quoque obligationem introduxerunt, quod JCTi admodum concinne & eleganter, uti mihi videtur, per illam quam pr. J. de Obligat. tradiderunt definitionem, *Obligatio est Juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvenda, secundum Civitatis nostræ Jura, in folle exhibuerunt, cujus effectus latissime sece per omnia Jurium fere capita diffundit.* Probare hoc per vastum Juris oceanum laboris exigui foret, ni pagellarum angustia suaderet, unicum tantum hujus rei luculentum exemplum in medium producendum: Filii familiæ separantur in Jure à Patribus familiæ vid. L. 4. ff. de bis qui sui vel al. Jur. sunt. ita ut diversum producat effectum patrum & filiorum familiæ obligatio, quod maxime post introductum & sanctum SCtum Macedonianum apparebat, hoc enim filiorum familiæ obligationem, ratione mutui improbat, & exceptionem SCtii propositi suppeditat; dubium tamen maxime, an non ante introductum SCtum Macedon. exceptio quædam contra mutuum filiorum familiæ fuerit data; putat equidem RICHTER in tr. de Contract. Disp. 2. Tb. 5. lit. e. ante introductum SCtum Macedon. filios familiæ

milias efficaciter potuisse conveniri , propter pecuniam  
mutuo acceptam , quod licet nullis corroboretur neque  
LL. neque antiquitatum fundamentis , & concluso huic,  
quod alias non opus fuisset SCto Maced. si ante introdu-  
ctum hoc jam filiorumfamilias obligatio fuisset invalida,  
facillime obviari possit , quoniam plurima LL. ac Consti-  
tutiones , quorum fragmenta jam ante Juris nostri compi-  
latum corpus extiterunt , passim in veteribus Codicibus  
offenduntur , & repetita in Juris Justinianei corpore , sub  
alio titulo , vel emendationes , vel auctiores , vel mutilata pro-  
dierunt , ita ut ex hoc argumentum concludens minime  
possit formari , tamen verolimile maxime videtur ; sed po-  
sito jam ante introductum SCtum Macedon. filiosfam. po-  
tuisse efficaciter conveniri , tamen nemo unquam afferet . pa-  
rentes obligatos fuisse ullo tempore , debita à liberis contra-  
cta solvere , antiquissime enim receptum fuit illud tritum .  
Ne filius pro patre & Pater pro filio ; quod & Summi Nu-  
minis in veteri testamento fuit effatum , ne filii iniquita-  
tem parentum & parentes filiorum debeant ferre , conf. tot.  
Tit. C. Ne filius pro patre & Pater pro filio . Cum itaque jam  
ante introductum SCtum Macedon. Parentes plane non  
obligabantur , nudaque obligatio ad filiosfamilias restri-  
cta esset , quæ per exceptionem SCti hujus summota , mi-  
rum est , cur Ictus Celeberr. Dn. BOEHMER in Compend. ff. ad  
tit. de SCto Macedon. §. 1. in fine afferat , Macedonianum  
SCtum privilegium liberorum dici non posse , sed in favo-  
rem parentum esse introductum , cum tamen parentes  
nunquam fuerint obligati , sed liberi ; nisi solum putet , per  
consequentiam redundare in parentes solutionem débi-  
torum , à liberis contractorum , si vel hi debeant luere  
in corpore , quod non habeant in ære , & odiosum dehinc  
parentibus foret , quod creditoribus tandem de ipsorum he-  
reditate hac pecunia mutuaticia solventur , vel etiam , quod  
patres familias facti , si tanquam filiosfamilias nihil in bonis  
habuissent , cogerent solvere ut Patresfamilias , non ut  
filii familias , vel etiam favor ex sententia THEOPHILI §.  
pen. Inst. Quod cum eo &c. posset oriri , quoniam pecunia sa-  
pius à filiosfamilias luxu consumta , ut hinc vita Paren-  
tum filiosfamilias , ære alieno pressi insidiarentur . Sed hac  
)( 2 omnia

omnia per indirectum & secundario in parentes redundant, si enim genuinam privilegii hujus naturam consideramus, primario beneficium est liberorum, ne hi, debita temporibus, quibus sub patris potestate constituti, contracta, etiam si postea patresfamilias facti, debeant solvere. L. i. ff. de SCto Maced. ex qua Lege simul ratio introducli SCti appareat, quæ est odium fœneratorum. Tantum autem abest, ut hanc unicam causam introducti SCti afferamus, cum unus rei plures possint esse causæ, quemadmodum & THEOPHILVS in all. §. pen. Inst. Quod cum eo, propter filium luxuriosè viventem, vitæque patris inhiantem introductum illud esse afferit, cum quo locus TACITI Lib. XI. Annal. Cap. 13. eleganter conspirat. Lege lata, sevitiam Creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiisfamilias fenori darent. Quare & nimis præcoci Judicio Dres uti, qui falso THEOPHILVM hanc causam subministrasse, ac VLPIANI in L. i. ff. de SCto Maced. veriorem esse tradunt, in apri-  
co est, cum utramque SCti introducti causam veram esse, ac stare posse, neque inter se pugnare, rationes VLPIANI in LL. sequentibus de SCto Macedon. allatae, sat clare demonstrant. Maximopere tamen demirandum, cum SCta sint Jura à Senatu Romano introducta, quibus alias magnum honorem Consules Romani sibi conciliari existimabant, quando denominatio abs nominibus eorum, qui illo anno senatus præerant, desumeretur, uti exempla plurima occurrunt, in VELLEJANO vid. L. 2. §. 2. ff. ad SCtum Vellej. TREBELLIANO L. i. §. 1. ff. ad SCtum Trebell. §. 4. J. de Fideicomiss. hered. PEGASIANO §. 5. Inst. eod. ORPHITIANO pr. J. de SCto. Orphit. & plura, excipiunt tamen PAPYRIANVM, quod in honorem PAPYRII factum esse vulgo afferitur, vid. GOTHOFREDVS de JENA tr. de SCto Macedon. Sect. I. Aphor. 3. hoc Macedonium SCtum nomen accepisse ab eo, in cuius odium factum, improbo nempe fœneratore Ma-  
cedone, referente VLPIANO in L. i. pr. ff. de SCto Macedon. Etiam ei, qui criteria Romana exacte callebat, non alia ratio hujus occurret, quam aut Consulem, sub quo Macedonia-  
num est introductum, nomen aut sordidum, aut civibus Romanis odiosissimum habuisse, aut servum, qui creditus erat liber homo, tunc temporis consularum gessisse, vel  
etiam

etiam rem maxime veteribus invisam, Consulem tam vili  
pendisse, tantoque odio habuisse, ut ne quidem dignam cen-  
seret nominis sui memoria donare, constat enim, veteribus  
usuras maxime fuisse odiosas, ita ut etiam, fœnebre malum,  
ac feram beluam, appellaverint; conferantur ea quæ hac  
de re scribit TACITVS Lib. VI. Annal. cap. 16. von Hagen in  
Tr. de Vsuris Cap. 3. n. 24. SCtum autem hoc Macedonia-  
num non quodlibet mutuum improbat, sed tantum illud,  
quod in pecunia numerata consistit, uti ipsa verba VL-  
PIANI in L. 3. ff. ad SCtum Mace. se habent: *Is autem solus*  
*SCtum offendit, qui pecuniam mutuum filio familias dedit, non*  
*qui alias contraxit.* Excipit tamen ipse VLPIANVS in fine bu-  
jus §. & L. 7. §. 3. cod. casum, ubi fraus Legis queritur, &  
hunc etiam SCto comprehendendi docet, quoniam SCtum  
alio modo foret frustraneum, & fœneratores mutuam pe-  
cuniā nunquam darent, ob prohibitionem Legis, bene ta-  
men alios cum filiisfamilias contractus celebrarent, ex  
quibus idem ac fere maius lucrum sperandum sit; ne-  
que etiam quemlibet filiofamilias mutuum dantem con-  
demnat SCtum ad amissionem debiti sui, sed solum illum,  
qui sciens, filiumfamilias quempiam esse, contra SCtum pe-  
cuniā dedit, hinc mitiori Judicio SCtum illum tractat, qui  
juste ac non vana persuasione deceptus, aliquem credidit pa-  
tremfamilias vid. L. 3. pr. L. 19. L. 7. §. 7 ff. ad SCtum Mace-  
don. ita ut is non carere teneatur debito suo, nisi in tantum, in  
quantum filiusfamilias vivente patre non est solvendo,  
hinc & dolus filiusfamilias, quo se asserunt majores, & ali-  
quem ad credendam pecuniā induxerunt, ipsis non pro-  
dest, sed eodem modo quo antea, tenentur solvere; digni-  
tate pro liberatis a Patria potestate habendis hoc Senatus  
Conf. non patrocinatur. vid. CARPZ. P. 2. c. 10. d. 17. eodem  
modo sicut illis filiusfamilias, qui peculium adventitium ex-  
traordinarium habent, de quo libere inter vivos disponere  
possunt, BRVNNEM. ad L. 1. ff. n. 6. ad SCtum Mace. Plura  
de hoc SCto, & quando cesseret, in medium essent produ-  
cenda, ut & de Praxi hujus remedii, de qua testatur STRY-  
CRIVS in V. M. ff. ad b. tit. conf. HAHN. ad WESENB. cod.  
sed iusius ea in Lectione sua Cursoria exequetur

Gilam Leipzig  
1197

NOBILIS ET CLARISSIMVS DOMINVS  
CHRISTIANVS WILHELMVS Blaubart/

Cujus vita Curriculum, quoad nobis à Dno Candidato exhibitum, sequentibus recensendum. Editus est in hanc lucem anno M DCC II. d. 4. Julii; Elystro-montani Variscorum. Parentes natus est Dn. CHRISTIANVM Gottlieb Blaubart/ Scholæ dictæ urbis Cantorem, & nunc Reichenbachii Variscorum Collegam tertium, & MARIAM ELISABETHAM, natam BÖHMIAM, utrumque parentem etiamnum superstitem esse, summopere latatur. Hisce parentibus optimis nihil magis curæ cordique fuit, quam ut ipsum principiis pietatis & studiorum, quæ ab humanitate nomen docunt, imbuendum curarent. Quare imprimis parens ipsi non solum prima latinitatis principia instillavit, sed etiam Scholæ Reichenbacensis reliquos Dnn. Præceptores, Dn. M. GOTTOFREDVM Wendler/ Rectorum, Dn. JOHANNEM SIGISMUNDVM Fleischer/ Cantorem, hac in opera adjutores sibi elegit, quorum industria singulare eo pervenit, ut anno M DCC XVI. Mense Maji, in Gymnasium Illustræ Ruthe-neum, quod Gera floret, mittere ipsum potuerit, ubi Ducibus Dn. M. GEORGIO LUDOVICO Goldner/ Rector, M. JOHANNE HEINRICO Wolff/ S.S. Theolog. Bacc. & Correctore, & M. JOHANNE CHRISTOPHORO Schleißner/ Coll. III. per quadriennium, quantum in se fuit, studiis incubuisse proficeretur. Cum autem jam jam constituisset Gymnasium hoc cum Academia mutare, incendium quoddam infelicissimum anno M DCC XX. Reichenbachii ortum, ut propositum suum peragere haud potuerit, causa fuit, quo tempore non solum totum fere oppidum, ut proh satis notum, interiit, sed etiam parentes sui plurimam bonorum partem amisisse, ideoque subsidia academica necessaria porrigitur non potuisse, nobis fidem fecit; Quam ob causam, imprimis cum in animo esset studio Juridico se conscreandi, suppeditatam aliquam occasionem arripuit, & se ad Dn. JOH. BARTHOLOMÆV M Stoßzahn/ Advocatum Reichenbachii famigeratissimum, contulit, ibique ultra quinque annos in Praxi se exercuit, usque tandem Anno M DCC XXVI. viribus parentum suorum paululum meliorum

rem sortem natus, Academiam Lipsiensem accedere potuit.  
Ibi autem sub Rectori Magnifico, Dn. CHRISTIANO FRIDERICO BÖRNERO, S. S. Theolog. Doctore, ejusdem Professore P. O. Collegit majoris Principum Collegiato, Canonico Carenzi; nec non Bibliotheca Academiae Praefecto &c. in numerum civium Academicorum relatus est, studisque se totum mancipavit, hinc in Philosophia scholas Dn. M. CHRISTIANI CRELII, Facult. Philosoph. Assessoris, frequentavit, in Jure Illustris Dn. MICHAEL HEINR. GRIEBNERI, Potent. Polon. Reg. a Consilis Aut. atque Justitia & ordinarii Facultatis Jurid. qua Lipsia est, nec non P.P. Decretalium, Principia Processus Judicarii non solum ab eo, sed & a Dn. CAROLO OTTONE Rechenberg/Cod. P.P. & Facult. Jurid. Assess. explicanda audivit, junxit his Dn. JOH. FLORENT. RIVINI, P. P. & dicta Facult. Jurid. Assess. explicationem in Schöpferi Synopsin & quam ipsi magno emolumento fuisse jactat, præcipue laudandum censere nobis persuasus est Dn. D. GOTTLIEB WILHELMVM DINCKLERVM, Jur. Sax. & Traet. Cursor. Pandect. P. P. Ord. &c. quem sibi in prælegendis Institutionibus Menckenianis, Struvii Jurisprudentia Romano-Germanica forensi, Lauterbach. Compend. Jur. Ludovici Digest. Schilteri Institutionibus Jur. Feud. nec non variis Disputatoriis & Casuisticis non detuisse ingenua facetur, hinc quoque Dn. D. JOH. CONRADI Stieglitz/operam in feudalibus & Cambialibus, Dn. DIETERICI Gotthardt Eckardt/ in prælegendis Institutionibus Schilteri Jur. Can. animum suum locupletiorem reddidisse nobis aperuit, quibus omnibus, imprimis D. DINCKLERO, se obstrictissimum profitetur, ut prater gratam mentem, & suavissimam ejus Patrocinii recordationem, nihil plane relicturn dicat, quo hujuscemodi beneficia qualiter qualiter refundere queat. Tandem & fructus hujus percepta doctrina diu speratos sentire, animo meditatus; haud ita pridem ad Almann & perantiquam nostram Hieranam se contulit, numeroque civium Academicorum ibidem Rectori Magnifico, Reverendiss. Dn. PLACIDO, Reg. Monast. SS. Apost. Pet. & Pauli O. S. Ben. Abbatte &c. junctus; postquam nostram Facultatem Jur.literis d.14. Feb.a.c. datis adierat, ut Candidatorum Juris numero adscriberetur, viaque ad ulteriora Jurium Specimina præstanda ipsi panderetur: Nos cum nulli modeste hoc



hoc flagitanti, Jurisque solide perito hoc denegare soleamus, honesto ejus desiderio lubentissime annuimus, & non solum diem præfiximus Examini rigoroso, sed & textus ex Jure Canonico & Civili elaborandos transmisimus. Comparuit coram nobis statuto tempore, ibique textus transmissos solide non solum enodavit, sed & singulorum desiderio in resolvendis quæstionibus propositis ita satisfecit, ut unanimi suffragio albo calculo notatus, dignusque judicatus sit, cui via ad Jurium scalas concendendas aperiatur. Conclusum hoc Facultatis Juridicæ ut ad optatum perducatur finem, concendet proxima die lunæ d. 21. Mart. a. c. Cathedram publicam, ibique quid humeri valeant, quid ferre recusent omnibus ac singulis monstrabit; initium autem specimenum publicorum faciet à Lectione Cursoria, pro qua L. 1. ff. de SCro Macedonio explanabit, hacque finita ipsam Dissertationem Inauguralem DE DÉCRETO DISTRIBUTIONIS IN CONCVRSIBVS CREDITORVM NONNVLLIBI RECEPTO, publicæ eruditorum censuræ subjiciet. Digni ut actus hi solemnes vestra honorifica præsentia sint, Per illustris Dn. Pro-Cancellarie, Magnifice ac Reverendiss. Dn. Rector. Admodum Reverendi, Magnifici, Consultissimi, Experientissimi, Nobilissimique, singularem Facultatum Dni Decani, Seniores, Assessores, Professores, Doctores, Licentiati, atque Magistri, ex animo optarem, quare debita cum veneratione arque modestia, vos non solum, sed & Literatûræ Patronos, ac Studiosos nostros invito, velitis statuto tempore atque loco comparere, benignasque aures ad breve temporis spatiū Candidato nostro præbere, qui non solum hæc humanitatis officia debita gratiarum actione prosequetur, sed & ego offero me ad paria officiorum genera occasione emergente paratissimum. Dabam sub Sigillo Facultatis Juridicæ Domin. Oculi d. XX. Martii A. MDCCXXIX.

(L. S.)

(x228 2285)

V①<sub>18</sub>

ULB Halle  
007 436 564

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

1729, 25

28

FACULTATIS JVRIDICÆ  
IN ALMA AC PER-ANTIQUA HIERANA  
PRO-DECANVS

ERNESTVS TENZELL  
JCTVS

ELECTORALIS REGIMINIS CONSILIARIVS, JUDICII PROVINC. ERFORDIENSIS  
ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS CONSVL PRIMARIUS,

AD LECTIONEM CVRSORIAM

Super L. I. ff. de Scto Macedon.

HAC QVE FINITA

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

DE

DECRETO DISTRIBUTIONIS IN  
CONCVRSIBVS CREDITORVM  
NONNVLLIBI RECEPTO,

NOBILI ET CLARISSIMO DOMINO

A  
CHRISTIANO WILH. Claubart/

ELSTRO-MONT. VARISCO,

IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI

D. XXI. MARTII A. M DCC XXIX.

HABENDAS

OMNIVM ORDINVM AUDITORES DECENTER INVITAT,

ET  
OCCASIONE LEGIS IN ISTA LECTIONE  
EXPLICANDÆ

DE SCTO MACEDONIANO,

VITÆ CVRRICULO PRÆMITTIT.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.